

QUESTIO XI.
DE FRUITIONE.

SUMMA LITTERÆ.

Fruitio est delectatio, et quies circa finem, sumpta metaphora a fructu (circa fructum enim est fruitio) qui est ultimum, quod a planta expectamus, et de quo delectamur. Finis autem dupliciter habetur. Uno modo perfecte quando illum realiter et in executione consummate consequimur, et iste est ultimus actus tam in ordine intentionis, quam executionis quo tendimus ad finem. Alio modo imperfecte quando solum in intentione illum habemus, et incipit nobis complacere, et talis complacentia, quia est de fine, dicitur etiam fruitio, licet imperfecta illius, et per eam sternimus viam ad intentionem, quæ est primus actus, quo respicitur finis non solum in se absolute, sed comparative ad media per quæ assequi intenditur. Et de hac imperfecta fruitione agimus in præsentibus.

In primo articulo ostendit D. Thomas fruitionem esse actum appetitivæ potentiæ, quia est delectatio boni amati; ergo versatur formaliter circa bonum, et sic pertinet ad appetitum.

In secundo articulo ostendit fruitionem etiam convenire brutis, sed imperfecte, quatenus est cum cognitione imperfecta finis, sequitur enim fruitio ipsam rationem finis, et eo modo quo finis potest apprehendi, potest et frui.

In tertio articulo ostendit, quod fruitio simpliciter solum est ultimi finis; secundum quid autem et improprie etiam ejus quod non est ultimum simpliciter, dummodo sit ultimum respectu aliquorum, et delectationem habeat. Nec enim quiescimus simpliciter dum adhuc sumus in via, et tendimus, sed quando finitur via. Hæc autem non finitur nisi in ultimo simpliciter. Dum ergo aliquid restat acquirendum non est simpliciter quies; ergo nec fruitio.

In quarto articulo ostendit, quod perfecta fruitio est finis habitus, et possessi, quia tunc nihil restat de via ad finem, et sic est perfecta quies. Imperfecta autem fruitio potest esse de fine solum in intentione habitus, quatenus incipit haberi.

QUESTIO XII.
DE INTENTIONE.

SUMMA LITTERÆ.

Intentio versatur circa finem non absolute, sed comparative ad media, quia tunc aliquid intenditur quando ut assequibile respicitur. Non est au-

tem assequibile nisi per ordinem ad media. Et in hoc incipit a simplici voluntate, quæ solum est de bono in se sine respectu ad assecutionem.

In primo articulo ostendit D. Thomas intentionem esse actum voluntatis, quia versatur circa finem ut assequendum, ex fine autem intento dependent, et moventur omnia, quæ ad finem ordinantur. Unde sicut ad voluntatem pertinet movere omnia ad finem, ita intendere ipsum finem; inde enim movet.

In articulo secundo ostendit intentionem versari non solum circa finem ultimum, sed etiam circa intermedium, eo quod intentio non est circa finem per modum quietis, sed per modum motus, et assecutionis. In motu autem non solum tenditur ad ultimum, sed etiam ad intermedium terminum. Uterque igitur intendi potest ut assequendus.

In articulo tertio ostendit unico actu, et unica intentione posse plura intendi, vel quia plura objecta sunt inter se coordinata, et sic possunt unico actu attingi, quatenus conjuncta, et coordinata sunt. Vel quia in eodem objecto plures conditiones, et bona inveniuntur, etiamsi inter se non sint subordinata, sed in uno subjecto inventa. Ex hoc autem aliquid potius intenditur, quia ad plura valet, licet non subordinata inter se.

In articulo quarto ostendit unicum actum intentionis posse ferri in finem, et in media, si feratur in finem directe, et per se, et in media ut in obliquo, et ratione finis tantum. Si autem feratur in finem, et in media ut in duas res, et objecta absolute, et secundum se sumpta, non potest eodem actu in utrumque ferri.

In articulo quinto ostendit intentionem non convenire brutis, quia intentio est ordo ad finem cum collatione, et comparatione ad media. Bruta autem non utuntur cognitione collativa, sed ab alio tantum moventur ex instinctu, non ex collatione, et arbitrio.

NOTANDA CIRCA ISTAS QUÆSTIONES.

I. Quæ possent in præsentibus disputari circa ordinem intentionis, et executionis, et quomodo illi distinguantur, et discernantur tum in decretis humanis ex parte actuum, tum in divinis ex parte diversorum objectorum, late a nobis tractata sunt in secundo tomo, 1 part. disp. v, agentes de divinis decretis, et voluntate Dei.

II. Id autem quod D. Thomas disputat in hac quæstione XII, art. IV, an sit unus, et idem actus, qui versatur circa finem, et circa media, supra a nobis tractatum est circa quæstionem VIII, disputatione præcedenti.

III. Generaliter in his quæstionibus solet exercitari difficultas de istis actibus, fruitione, intentione, et

electione, an sint actus partis appetitivæ, an intellectivæ formaliter, et in sua substantia. Et quia difficultas hæc ex communibus principiis discernenda est, placuit eam tractare operosius sequenti disputatione, articulo primo, agendo de electione, in qua idem controversitur, et ex ejus decisione etiam constabit quomodo id discernendum sit in aliis similibus actibus.

IV. Restat igitur breviter aliqua notare, quæ pertinent ad dignoscendam naturam utriusque actus, fruitionis, et intentionis. Primum est circa id quod dicit S. Thomas quæst. XI, art. I, quod fruitio vel est amor vel delectatio; quomodo hoc intelligendum sit, et in quo actu ex istis consistat fruitio.

V. Respondetur formaliter consistere in delectatione, præsuppositive autem, et causaliter petere amorem,

sicut etiam petit possessionem; quæ possessio pertinere potest ad aliam potentiam, quam ad voluntatem, ut possessio Dei fit per intellectum, possessio rei corporalis per tactum. Et hac ratione multoties fruitio Dei appellatur possessio, et videtur pertinere ad intellectum, scilicet causaliter. Ratio est, quia fruitio formaliter, et per se est de re præsentis et habita, fruimur enim eo quod assequimur: res autem præsens fit volita, et amata causat gaudium, et delectationem; si nolita, et abominata causat dolorem, seu tristitiam: ergo fruitio, qua gaudemus de re præsentis, seu habita non est amor, sed supponit amorem, supponit enim id quod est contrarium dolori, et per quod ab illo distinguitur. Non distinguitur autem per hoc quod res sit præsens, quia res præsens in dolore est aliquid abominatum et malum, in fruitione autem res amata et bona, et quæ ante erat desiderata, et concupita. Supponit ergo amorem, non formaliter est amor. Ex amore autem de re præsentis sequitur gaudium, seu delectatio; ergo fruitio in gaudio, et delectatione consistit: unde et communiter frui dicitur gaudere, *Gozar*. Proportionabiliter hoc dicendum est de fruitione imperfecta, quæ est de re habita solum intentionaliter, et nondum realiter, supponit enim rem præsentem imperfecte tantum, scilicet in intentione, et amatam simplici amore, quo res aliqua coaptatur et conjungitur affectui, et inde resultat complacentia de re cogitata, quæ est fruitio illa imperfecta.

VI. Secundum est, an istæ fruitiones, scilicet perfecta, et imperfecta specie differant.

VII. Respondetur quod fruitio potest distingui penes perfectam, et imperfectam tripliciter. Primo, ex parte cognitionis regulantis, sicut

in brutis, et in nobis, quia bruta imperfecte cognoscunt finem, et non sub formalitate, et comparatione finis; nos autem perfecte. Secundo, ex parte objecti, quia aliquid est imperfecte, et secundum quid ultimum, aliud est ultimus finis simpliciter. Tertio, ex parte habendi, et possidendi, quia imperfecte habetur idem objectum in intentione; perfecte autem in re, et in assecutione.

VIII. Quando differt fruitio perfecta, et imperfecta secundo modo, et etiam primo, differunt specie simpliciter, et essentialiter, quia differunt ex parte objecti per se, quod est finis; finis enim simpliciter ultimus, et finis intermedius sunt specie diversi, cum ille sit Deus, iste bonum creatum, aut duæ res creatæ specie diversæ, etiam in ratione bonitatis. Similiter bonum ut regulatum cognitione sensitiva bruti, aut cognitione rationali hominis, specie differunt, ita quod petunt potentias specie differentes, ut appetitum bruti, et voluntatem: unum enim bonum est rationale, et redditur conveniens secundum mensuram rationis; aliud est irrationale, et redditur conveniens secundum mensuram bruti: diversæ autem convenientiæ, et coaptationes reddunt diversa bona formaliter, et essentialiter, licet materialiter sit idem. Quando autem fruitio perfecta, et imperfecta differunt solum tertio modo, illa differentia videtur solum accidentaliter, quia utrumque est proprie, et univoce gaudium, seu delectatio, et versatur circa idem bonum, et solum differunt penes conditionem requisitam, scilicet penes modum habendi, et possidendi tale bonum, quod sit in intentione, vel in re; quod accidentale est ad specificam, et essentialem rationem gaudii, nec pertinet ad principium specificativum, et es-

sentiale, sed ad conditionem requisitam, seu modum. Unde etiam potest utraque fruitio ab eadem specifica virtute proficisci, scilicet a charitate, quæ in hac vita habet gaudium de Deo, et in patria consummatam fruitionem, et gaudium.

IX. Et hoc idem sumitur ex D. Thoma; nam in hac quæstione XI, art. IV ad secundum, docet quod quies, seu fruitio, quæ ex parte objecti est imperfecta, est fruitio impropria, quasi deficiens a specie fruitionis, quia objectum dat speciem actui, fruitio autem imperfecta ex parte agentis, seu appetentis est propria quidem, sed imperfecta, propter imperfectum modum habendi ultimum finem. Si autem est propria; ergo non est deficiens a specie fruitionis, quia illam fruitionem dicit D. Thomas impropriam, quæ est deficiens a specie fruitionis. De fruitione vero brutorum, quod non sit ejusdem speciei, videatur D. Thomas ibi articulo secundo: est enim eadem ratio, quia variatur objectum, cum in nobis sit rationale, et liberum, in brutis pure sensibile.

X. Tertium est, quid sit objectum immediatum fruitionis, et quid requiratur ad illud.

XI. Respondetur ad objectum fruitionis requiri, quod habeat rationem ultimi, sed simpliciter respectu omnium, vel saltem respectu aliquorum. Quæ autem solum habent rationem medii, nec appetuntur, nisi ex bonitate extrinseca finis, nullo modo sunt objectum fruitionis, sicut potio amara respectu sanitatis. Ita D. Thomas hic art. III. Et ratio est, quia fruitio est de bono ut quietante, et delectante. Nihil autem quietat nisi sit terminus ubi sistatur, si enim solum per illud transitur, ad motum pertinet, non ad quietum. Illud autem quod est pure medium, et ex se non habet placere,

sed ex alio, non facit sistere in se, neque quiescere, sed transire ad aliud, et sic non facit fruitionem de tali medio in se, quin potius displicet in se, et solum placet ratione alterius, non ergo in illo quiescit, sed in altero. Quidquid ergo habet in se unde placeat, et in eo quiescat, habet in se unde delectet, et fruatur, hoc autem quod in se, et ratione sui placet semper habet aliquam rationem finis, et ultimi, et non mere utilis, licet non sit simpliciter, et omnibus modis ultimum. Habet ergo esse objectum fruibile, licet non simpliciter, et omnibus modis.

XII. Objectum autem immediatum fruitionis ut quod, est ipsa res, quæ est finis, at vero ut quo, est ipsa adeptio, et possessio. Res enim fruibilis est res assequibilis, et finis ipse, quem assequi desideramus, et quo assecuto quiescimus. Ergo illud est objectum immediatum fruitionis quod, et ut res, in quo tamquam in re assecuta quiescimus. Res autem in qua quiescimus non est adeptio ipsa, sed adeptio, seu possessio est conditio ut quiescamus in tali re; debet ergo objectum immediatum fruitionis esse res ipsa, qua fruimur, possessio vero non est objectum quod, sed conditio ejus, nisi per reflexionem velimus illam habere pro objecto quod. Et in summa, sicut loquimur de fine ut assequibili, quod datur finis qui, seu ut res, et finis quo, ita de fine ut fruibili, seu objecto fruitionis. Unde objectum fruitionis finis ultimi est Deus in se, non aliquid creatum; adeptio autem, et possessio Dei non est objectum fruitionis ut quod, sed ut quo.

XIII. Quartum est, an omnes isti actus, fruitio, intentio, volitio simplex, et quicumque alii versantur circa finem, distinguantur specie. Idem est de actibus qui versantur circa media, ut electio, consensus,

usus, imperium; an differant specie, licet versentur circa idem medium, sicut licet versentur circa eundem finem. Nam si versentur circa diversos, hoc ipso distinguuntur specie ex diversitate objectorum.

XIV. Respondetur ergo, quod quando isti actus versantur circa eundem finem convenire possunt in eadem specie morali, id est, pertinere ad eandem virtutem, aut vitium, sed tamen habent diversam speciem physicam in ratione voluntarii, quæ est species quasi incompleta, aut materialis intra eandem speciem virtutis; sicut eadem virtus potest habere diversos actus specie, ut religio orationem, devotionem, votum, juramentum, etc. et in eodem homine sunt plures potentia, et plures partes heterogeneæ, quæ specie differunt in ratione partis, et potentia, ut oculus, auris, caro, ossa, etc. sed istæ species sunt incompletæ, et secundum quid. Ratio hujus quantum ad primam partem est, quia eadem virtute inclinatur aliquis in omnes illos actus, ut ab eadem charitate elicitur amor circa Deum, et gaudium de Deo, aut desiderium de illo: sunt enim isti effectus charitatis, qui non exigunt diversam virtutem, sed eandem, ut docet D. Thomas 2-2, q. xxviii. Et virtus temperantiæ inclinatur ad volendum temperate vivere tamquam ad finem proximum, et ad eligendum hic et nunc medium temperantiæ, et materiam debite temperatam, quia totum hoc eisdem regulis rationis, et eadem moralitate regulatur, scilicet modo temperate se habendi, ut distinguitur a fortitudine, vel justitia, etc. imo et eadem virtus, verbi gratia fortitudo, eadem moralitate moderatur timorem, et audaciam, quæ sunt diversæ passionis, et elicit diversos actus, ut religio; ergo ad eandem virtutem,

et moralitatem pertinebit frui, et intendere finem, verbi gratia temperantiæ, aut justitiæ; nec ex diversitate istorum actuum, necesse est virtutes diversas constituere.

XV. Ratio secundæ partis est, quia in genere physico voluntatis diversus actus est amor, et gaudium, aut desiderium, quia unum est de re absenti, alter de præsentibus, alter secundum se abstrahit; fruitio autem est gaudium, et causatur ab amore, intentio autem sicut desiderium quoddam efficax, ergo physice distinguuntur: sicut etiam in appetitu naturali, ut in lapide, distinguitur motus descensus ad centrum, et quies in centro, licet utrumque versetur circa centrum. Et sic distinguuntur ex parte finis, seu objecti formaliter sumpti, scilicet sub diversa ratione motivi in ratione physica voluntarii, sicut aliter movet res ut præsens, aliter ut absens.

XVI. An vero sit excellentior actus fruitio, quam intentio, vel quam electio, ut usus, qui actus solum inveniuntur in parte rationali, fruitio autem etiam in brutis.

XVII. Respondetur quod fruitio perfecta, et rationalis perfectior est quam electio, usus, et reliqui actus, qui versantur circa media, cum ipsa versetur circa finem perfecte cognitum, finis autem excellentior est mediis, cum de illis perfectionem et bonitatem. Cæterum fruitio comparata cum intentione perfectior est quam intentio, si sit fruitio consummata, et circa finem realiter possessum, quia talis fruitio excellentissime tangit finem, et est id ad quod intentio pervenire intendit tamquam ad ultimum, et perfectum. Fruitio autem imperfecta, et non consummata, scilicet finis solum habiti in intentione, est imperfectior actu intentionis, et ad illam disponit, est enim simplex quædam complac-

tia de fine, non autem efficax ordinatio ad illum, sicut intentio, quæ superaddit hanc efficaciam, et ordinem ad media supra illam complacentiam. Perfectior autem est electione simpliciter loquendo, et parte objecti, quia finis perfectior est mediis, licet sit imperfectior ex parte efficaciam, quæ in electione invenitur, non in simplici fruitione.

XVIII. Ultimo notandum est, quod licet D. Thomas in quæstione xii, artic. iii, affirmet in corpore articuli, quod potest aliquis intendere plura etiam non subordinata inter se, tamen non potest intendere plura ut omnino diversa, et nullo modo conjuncta saltem in aliquo uno subiecto, vel sub aliqua ratione communi, ut affirmat ibidem ad secundum, itaque bene stat, quod aliqua inter se non sint subordinata, et tamen sint in aliquo conjuncta, ut color et dulcedo non sunt subordinata inter se, et tamen sunt conjuncta in eodem pomo. Et ideo possunt ea, quæ inter se non sunt subordinata attingi eodem motu, quia

possunt attingi, ut in aliquo tertio conjuncta. Si autem nullo modo essent conjuncta neque inter se, nec in aliquo tertio, aut sub aliquo communi, non possent unico actu attingi. Et sic semper parificantur intellectus, et voluntas in hoc quod est non posse attingere plura per modum plurium, sed ut aliquo modo sunt unum (ut ostendimus in libris de anima, q. xi) nec oportet recurrere ad differentiam, quam in præsentibus conatur assignare Cajetanus inter intellectum, et voluntatem, cum tamen ea parificet D. Thomas hic ad secundum et tertium. Et solum potest esse differentia, quod voluntas potest ferri in plura non subordinata inter se in re, manente solum unitate subjecti, aut unius tertii continentis illa, intellectus autem debet ferri in plura per modum unius non solum ut unita in re, sed etiam in aliqua specie, et repræsentatione in qua per modum unius accipiuntur repræsentative, quod non requirit voluntas, quæ specie non utitur.